

cujus radiis expositus fuit. Afferri etiam possent exempla plurima, in quibus ratio sufficiens cur modus aliquis insit continetur in pluribus modis, vel pluribus entibus, aut partim in entibus; partim in modis. Hujus generis exempla suppeditant morborum causæ, quæ non solum extrinsecæ sunt, sed intrinsecas quoque corporis dispositiones supponunt.

IV. In essentia entis continetur ratio eorum, quæ enti insunt, vel inesse possunt. Unde essentia a ceteris, quæ enti insunt probe distingui debet, ipsa enim nullam rationem intrinsecam habet cur enti conveniat; cætera vero, quæ insunt, aut inesse possunt; in essentia rationem habent. Essentia igitur definiri potest id, quod primum de ente concipitur, & in quo continetur ratio sufficiens cur cætera vel actu insint, vel inesse possint, & hæc essentiæ notio est notioni Philosophorum conformis. Etenim Franciscus Suares e Societate Jesu, Tom. 1, Dist. 2, Sect. 4, essentiam rei id esse dicit, quod est primum, ac radicale, & intimum principium omnium actionum, & proprietatum, quæ rei convenient; & paulo post addit: Essentiam realem esse, quæ in se nullam involvit repugnantiam, neque est mere conficta per intellectum, vel etiam, quod sit principium, vel radix realium operationum, vel effectuum. Similiter Cartesins in principiis philosophiæ part. 1: Una, inquit, est cujusque substantiæ proprietas, quæ ipsius naturam, essentiamque constituit, & ad quam aliæ omnes referuntur. Cartesii interpres Claubergius in Me-